abſimiles videntur hominibus, qui ſui juris ſunt: & ex præſumptione [1] omnis miles [2] non creditur in aliud quicquam pecuniam accipere & expendere, niſi in cauſas caſtrenſes. Dat. 12. Kal. Auguſt. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

TIT. XXIX.

AD SENATUSCONSULTUM VELLEJANUM [3].

De ſolvente pro alio.

1. Imp. ANTONINUS A. Lucillæ.

MUlieribus [quidem,] quæ alienam obligationem ſuſcipiunt, vel in ſe transferunt, ſi id contrahentes [4] non ignorent, Senatusconſulto ſubvenitur: Sed ſi pro aliis, cum obligatæ non eſſent, pecuniam exolverint [5]: interceſſione ceſſante, repetitio nulla eſt. PP. Non. Dec. GENTIANO & BASSO CONSS. 212.

De Principaliter *debitrice.*

2. Idem A. Nepotianæ.

FRuſtra [6] Senatusconſulti exceptione, quod [7] de interceſſionibus fœminarum factum eſt, uti tentaſti: quoniam principaliter [8] ipſa debitrix fuiſti: ejus enim Senatusconſulti exceptio tunc mulieri datur, cum principaliter ipſa nihil debet, ſed pro alio debitore apud creditorem ejus interceſſit. Sin autem pro creditore ſuo alii ſe obligaverit, vel ab eo ſe, vel debitorem ſuum delegari paſſa eſt; hujus Senatusconſulti auxilium non habet. PP. 3. Idib. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De matre intercedente pro filio.

3. Idem A. Servato.

SI [9] cum ipſe mutuam pecuniam acciperes, mater [10] tua contra ampliſſimi ordinis conſultum, fidem ſuam interpoſuit: exceptione ſe tueri poteſt. PP. 3. Idib. Aug. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De obligatione, vel ſolutione pro alio.

4. Imp. ALEXANDER A. Alexandræ.

SEnatusconſultum locum habet; ſive eam obligationem, quæ in alterius perſona conſtitit, mulier in ſe tranſtulit [11], vel participavit; ſive, cum alius pecuniam acciperet, ipſa ſe ab initio ream conſtituit: quod in rerum earum [habitis] pro aliis obligationibus admiſſum eſt. † Sed ſi [12] prædia tua annis major vigintiquinque vendidiſti [13], & pro [14] marito pecuniam ſolviſti [15]: deficit [16] auxilium Senatusconſulti. PP. 6. Kalend. Januar. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De marito res uxoris oppignorante.

5. Idem A. Popiliæ.

SI ſine voluntate tua res tuæ a marito tuo pignori datæ ſunt, non tenentur. Quod ſi conſenſiſti [17] obligationi, ſciente [18] creditrice: auxilio Senatusconſulti uti potes. Quod ſi patientiam [19] præſtitiſti, [ut] quaſi ſuas res maritus obligaret, decipere [20] voluiſti mutuam pecuniam dantem, & ideo tibi non ſuccurretur Senatusconſulto; quo infirmitati, non [21] calliditati mulierum conſultum eſt. Dat. 15. Kalend. Julii, JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

De matre, quæ tutoribus filiorum promiſit indemnitatem.

6. Idem A. Torquato.

SI mater, cum filiorum ſuorum patrimonium gereret, tutoribus [22] eorum *ſecuritatem* promiſerit, & fidejuſſorem præſtiterit, vel pignora dederit: quoniam quodammodo ſuum [23] negotium geſſiſſe videtur, Senatusconſulti auxilio, neque ipſa [24], neque fidejuſſor ab ea præſtitus, neque res ejus pignoratæ adjuvantur. §. 1. Sin autem tutore ſe excuſare volente, ipſa ſe interpoſuit [25] *indemnitatem* ei repromittens, auxilio Senatusconſulti uti minime prohibetur.

§. 2. Si vero tutores petiit, & ſponte periculum ſuſcepit: quominus teneatur, auctoritas [26] eam juris tuetur. PP. 6. Idus Octob. MODESTO & PROBO CONSS. 229.

Si maritus fundum uxoris obligaverit.

7. Imp. GORD. A. Viviano.

SI ſciens [27] creditor a marito propter [28] proprium debitum obligari fundum mulieris, licet ea conſentiente [29] eum pignori acceperit: propter Senatusconſulti auxilium vendendo eum, dominium [30] mulieri auferre nequivit: nec tibi neceſſe eſt, (præſtito [31] pretio emptori) vindicare, ſi matri heres extitiſti. PP. 12. Kal. Octob. PIO & PONTIANO CONSS. 239.

Si paternam obligationem filii & filiæ in ſe receperunt.

8. Idem A. Triphoni.

SI [32] paternam obligationem non tantum maſculini ſexus [filii] verum etiam filiæ emancipatæ in ſe receperunt: quamvis filiæ virilibus [33] obligationibus eximantur, propter exceptionem, quæ ex Senatusconſulto Vellejano deſcendit; tamen [34] filios in id quod ſe obligaverunt, teneri, filiarumque ſubducta perſona patrem in id conveniri poſſe, in quo conveniretur, ſi filiæ non interceſſiſſent, dubium non eſt. Pignora tamen patris etſi in poſteriore [35] obligatione accepta ſunt: ſine [36] dubio tenentur. Sed & ſi in priore fuerint obligatione, quatenus ad patrem per reſtitutoriam [37] actionem redit, eatenus tenebuntur. PP. Non. Octob. PIO & PONTIANO CONSS. 239.

De Solutione facta ab ignorante beneficium SC.

9. Idem A. Proculo.

QUamvis mulier pro alio ſolvere [38] poſſit, tamen, ſi præcedente [39] obligatione, quam Senatusconſultum [40] de interceſſionibus efficacem [41] eſſe non ſinit, ſolutionem fecerit, ejus Senatusconſulti beneficio munitam ſe ignorans; locum habet repetitio. PP. Nonis Julii, GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De Conductione.

10. Imp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C. Triphonæ.

SI adverſarius tuus non cum marito tuo, ſed tecum [42] negotium geſſit: reliqua conductionis, quæ dicis eſſe contracta, obtentu hujusmodi obligationum non potes recuſare. Enimvero ſi cum eosdem fundos non tibi, ſed marito [43] tuo locaret, perſonam tuam ut idoneam ſecutus eſt: beneficio ampliſſimi ordinis, quod factum eſt de interceſſionibus fœminarum, te tueri potes. PP. 18. Kal. Septemb. PEREGRINO & ÆMILIANO CONSS. 245.

De jure hypothecario, ſeu pignoris remiſſione.

11. Idem A. Heboræ.

ETiam conſtante matrimonio jus hypothecarum, ſeu pignorum [44] marito [45] remitti poſſe, explorati juris eſt. PP. 8. Kal. Octob. PEREGRINO & ÆMILIANO CONSS. 245.

De Matre res ſuas obligante pro dote filiæ.

12. Impp. VALERIANUS & GALLIEN. AA. Sepidutæ.

SI dotare [46] filiam volens, genero res tuas obligaſti, pertinere ad te beneficium Senatusconſulti falſo putas. Hanc enim cauſam ab eo beneficio eſſe removendam prudentes viri putaverunt. PP. 9. Kal. Martii, TUSCO & BASSO CONSS. 259.

De fœnore.

13. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Condianæ.

SI fœnebris pecunia juxta fidem veri [47] a creditore tibi data eſt: ſive tota quantitas fœnoris, ſive pars ejus in uſum mariti proceſſiſſe proponatur, decreto patrum non adjuvaris: licet [48] creditor cauſam contractus non ignoraverit. Dat. 3. Kal. Sept. ipſis AA. CONSS.

1 Non abſimilis præſumptio eſt in *l.* 22. J. *ad SC. Velleian.* 2 Hinc colligunt, Maritum præſumi mutuum accipere in rem, utilitatem, commodum, & augmentum ſocietatis ſeu communionis. Molinæus *de uſur. quæſt.* 38. *n.* 291. 292.
3 *Lib.* 16. *D.* 1. & 2. Paul. *ſentent.* 11. & 1. Harmen. 13. Oldendorp. *cap.* 48. *de except.* Papon. 12. *Arreſt.* 5. Moribus Galliæ, mulier poteſt pro marito mutuum accipiente, vel aliter ſe obligante, cum ejus autoritate, etiam heredia ſua antiqua hypothecæ ſubjicere. Num inde Velleianum in Gallia deſuetum? dixeris: Molinæus negat: ſed id in Gallia receptum ideo eſſe, quod inter virum & uxorem plerumque omnium bonorum communio ſit. Hinc præſumi maritum obligari, & mutuum accipere in communis ſocietatis augmentum. Aliud fore, ſi inter eos communio pactis quibusdam matrimonialibus, vel dotalibus non fuerit, vel ſi jam facta bonorum ſeparatio ſit; vel ſi mulier obligari pro tertio voluerit; vel ſi pro viro interceſſerit non ſocietatis cauſa, ſed in rem mariti eorumve qui marito ſunt conjuncti, vel in aleam profuſura. Velleiano mulier etiam non juvatur, ſi mutuum maritus acceperit pro negotio uxoris gerendo, verbi gratia, pro ejus heredibus exonerandis, vel a commiſſo liberandis, & ſimilibus. Et ita Velleianum retineri ſervarique in Gallia *Molin.* cenſet. quem vid. *tractatu de uſur. quæſt.* 38. *num.* 292. adde Papon. 12. *Arreſt.* 9. *num.* 4. Goth. De Exceptionibus Senat. Velleian. vid. Joann. Zanger. *de except. part.* 3. *cap.* 11. Anſ. 4 Id eſt, qui contrahunt cum muliere. 5 Mulier ſolvens non juvatur Velleiano. *l.* 4. *in fin.* J. *h. t.* *l.* 4. 5. *l.* 8. §. 5. *ff. h. t.* 6 1. Harm. 13. §. 13. 7 Velleianum pertinet ad interceſſiones mulierum. *l.* 2. §. 1. *l.* 29. *ff. h. t.* Mulier pro alio intercedens juvatur Velleiano. 8 Mulier in rem ſuam obligata, non juvatur Velleiano. *l.* 6. *l.* 10. 13. *infr. h. t.* *l.* 4. 11. 17. 24. 27. *ff. h. t.* In rem ſuam obligata eſt πρωτοτύπως principaliter, id eſt cum primaria eſt debitrix, neque alterius nomine in ſe obligationem ſuſcepit. Alterius porro nomine non obligatur, quæ pro ſuo creditore ſe alii obligavit: ejusque nomine ſe vel debitorem ſuum delegari patitur. Harmen. *dict.* §. 13.
9 Etiam cum pro filio mulier fidejubet, exceptione Senatusconſulti Velleiani uti poteſt. *Syn. Baſil.* 7. *tit.* 19. *ex lib.* 26. *tit.* 7. *cap.* 67. 1. Harmen. 13. §. 32. 10 Mater pro filio quoque fidejubens, Velleiano utitur, *ut hic.* niſi matris juſſu mutuum filio datum ſit. vid. *Arreſt.* apud Papon. *d. loc. num.* 3. *in fin.* 11 *l.* 14. J. *h. t.* *l.* 1. *ff. h. t.*
12 Vid. Papon. *d. loc. n.* 4. *ibi*, *Quinto. le pareil ſeroit:* & *ibi*, *Octavo. femme comme peut vendre ſon immeuble pour la debte de ſon mari.* 13 Quid ſi ſe, ſuasve res obligavit pro marito: ut eum carcere cuſtodiave publica redimeret? Papon. *ibi n.* 8. refert, mulieri Velleiano conſultum. Plus eſt igitur vendidiſſe & ſolviſſe, quam ſe obligaſſe. Contrarium refert Harmen. 1. *tit.* 13. §. 14. ubi refert, mulieerem quæ acceptum ab aliquo argentum dederit, ut e cuſtodia virum liberaret, obligari, neque ei ſubveniri, quamvis cauſetur ſe interceſſiſſe, vel in patris poteſtate fuiſſe. Hæc eo ſententia defenditur: quod eam ob cauſam mulier dotem alienare poſſit. *l. ſed & ſi.* 21. *ff. ſolut. matrim.*
14 Si propter viri obligationem mulier in alieni contractus vinculum ſe conjecerit, priisque facultatibus maritum obligatione liberare ſtuduerit, ſi quidem pollicita non ſolverit, ne ſolvere quidem cogetur: quod ſi ſolverit, ſolutum condicere non poterit: præſertim ſi abſolutæ legitimæque ſit ætatis. 1. Harm. 13. §. 17. 15 *l.* 1. *ſupr. h. t.*

16 Imo non deficit. *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* ſolve: mulier ibi ſolicitavit emptores, non hic. adde Papon. *d. loco. n.* 2. *ibi*, *Femme qui eſt occaſion du preſt n'a l'exception du Velleien;* & *num.* 3. *ibi*, *Femme ayant prié le creancier de preſter, n'a l'exception du Velleien.* Poteſt etiam hæc lex referri ad mulierem, quæ fundum tanquam ſuos in uſus vendidit.
17 *l.* 7. *infr. h. t.* *l.* 8. *ff. h. t.* 18 Non ignorante res eſſe mulieris quæ pignori darentur. *l.* 8. §. 8. *ff. h. t.* 19 Res invitæ uxoris pignorari non poſſunt. *ſupr. ibi, ſi ſine voluntate:* nec volentis. *ibi*, *ſi conſenſiſti.* 20 Mulier decipiens non juvatur Velleiano. vid. *l.* 18. *infr. h. t.* 21 Calliditati mulierum non ſuccurritur, ſed infirmitati. vid Papon. *d. loc. n.* 11. 22 *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* 23 Mulier ſuum negotium gerens non juvatur Velleiano. vid. *l.* 2. *ſupr. h. t.* Suum gerit negotium, cum res alterius adminiſtrat, veluti, ſi res liberorum gerat, & eorum tutoribus ſecuritatem promittat, & fidejuſſorem det. 24 Mulier cum effectu, id eſt, utiliter & cum ſuo commodo obligata, fidejuſſorem, resque ejus recte obligat. 25 Aliud eſt matrem filiorum tutoribus excuſare ſe tutela volentibus indemnitatem promittere, *ut hic.* aliud ipſorum pupillorum negotia adminiſtrare, & eorum tutoribus ſecuritatem promittere, *ſupr. h. t.* Priore caſu, mulier Velleiano juvatur: altero non juvatur. Hinc collige, corrigendum eſſe §. 2. apud Paul. 2. *ſentent.* 11. 26 Auctoritate juris tenetur. Cujac. ad *l.* 17. *ff. de injuſt. rupto irrito.* ut verbum, *tueatur*, accipiatur paſſive. 27 Et ita malæ fidei. 28 Ratio decidendi. 29 *l.* 5. §. *h. t.* 30 Ex inutili alienatione, dominium non transfertur. 31 Emptori rem alienam ſcienti pretium non reſtituitur. 32 *l.* 8. *infr. de fidejuſſor.* 33 Inter eos qui nominatim obligantur, dividitur in viriles partes obligatio. 34 Quoties maſculi & fœminæ permixtim obligantur, obligatio pro parte fœminarum non valet. Et ita contractus interdum pro parte tantum tenet. 35 Novante. 36 Dubium ex eo naſcitur, quod in obligatione poſteriore ac novante pignus datum reperiatur pro accedente obligatione inutili. Quæ igitur ratio decidendi eſt? Hujusmodi pignus magis ad cauſam quam ad titulum obligationis referendum eſſe. 37 Reſciſſoriam, ut in *l.* 16. *infr. h. t.* 38 Mulier pro alio ſolvens, non juvatur, *ut hic.* quemadmodum & ſi donat. *l.* 4. *in fin. ff. h. t.* 39 Id eſt, ob præcedentem obligationem. *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* 40 *l.* 2. *ſupr. h. t.* 41 Solvens ob non efficacem obligationem mulier, juvatur Velleiano. 42 Si contrahitur principaliter cum muliere, negotium ad eam ſpectat, ideoque non juvatur. 43 Mulier conducens prædia, obligatur: pro marito conducente fidejubens, non obligatur. 44 Quod mulieri competit in rebus mariti. *l.* 8. *in princ. ff. h. t.* *l.* 11. *ff. quibus mod. pign.* *l.* 1. §. *penult.* J. *de rei uxor. act.* 45 Mulier poteſt remittere marito jus hypothecæ. Hoc aliud eſt quam fidejubere. 46 Mater ſe obligans pro dote filiæ, non juvatur Velleiano. Dotis favor Velleianum excludit. *l. ult. infr. h. t.* *l.* 41. *ff. de jure dot.* Mulier dotem pollicita non juvatur Velleiano, ſed eam præſtare cogitur. 11. Harmen. 13. §. 21. & 32. *Synopſ. Baſil.* 6. *tit.* 36. *ex lib.* 26. *tit.* 7. *cap.* 87. 47 Aliud ſi conluſorie, ut qui non obligatam ſibi mulierem fore ſpondendo ſciebat, mutuum dando eam obligaret. *l.* 11. *l.* 29. *ff. h. t.* vid. Papon. 12. *Arreſt.* 5. *num.* 4. *ibi*, *Septime.* 48 Vid. Molinæum *de uſur. quæſt.* 30. *num.* 203. & *l.* 19. §. 5. *ff. h. t.*

De

De muliere & ejus fidejuſſore.

14. Iidem AA. & CC. Baſiliſſæ.

MUlierem contra Senatusconſulti Vellejani auctoritatem non poſſe intercedere, eademque exceptione fidejuſſorem [1] ejus uti poſſe juris auctoritas probat. Unde ſi mater tua marito quondam ſuo heres non extitit, ſatis idoneæ exceptionis remedio tuta eſt. PP. 8. Kal. April. *Byzantii*, CC. CONSS.

De eo, qui mandato mulieris promiſit.

15. Iidem AA. & CC. Agrippino.

SI uxor pro marito contra Senatusconſultum interceſſura, te rogavit [2] mandatario nomine, ut pro ea tuam fidem obſtringeres: initio contractus per exceptionis auxilium obligationi tuæ adhæſit ſecuritas, qua conventus defendi potes. PP. 18. Kal. Junii, *Sirmii*, CC. CONSS.

De novatione.

16. Iidem AA. & CC. Rufino.

SI mulier alienam ſuſcepit obligationem: cum ei per exceptionem Vellejani Senatusconſulti ſuccurratur, creditori contra priores [3] debitores reſciſſoria actio datur. PP. 17. Kal. Febr. *Sirmii*, CC. CONSS.

De ſimulate geſtis.

17. Iidem AA. & CC. Alexandro & aliis.

SI cum pater veſter a Calliſtrato mutuam ſumpſiſſet pecuniam, velut [4] hanc ejus uxor accepiſſet, inſtrumentum conſcriptum eſt: nec ad exceptionis tractatum ex Senatusconſulto venientem pervenire neceſſe eſt: cum eam veritatis [5] ſubſtantia conſtituta potius quam ſimulata geſta tueatur. 3. Idus Martii, CC. CONSS.

De muliere decipiente.

18. Iidem AA. & CC. Zotico.

FOeminis alienas [vel] veteres [6], vel novas obligationes aliqua ratione ſuſcipientibus ſubvenitur: niſi creditor aliqua ratione per mulierem deceptus [7] ſit: nam tunc replicatione doli, Senatusconſulti exceptionem removeri, conſtitutum eſt. Dat. 5. Id. Nov. *Antiochiæ*, CC. CONSS.

De obligatione, quæ ex perſona mulieris initium ſumpſit.

19. Iidem AA. & CC. Fauſtinæ.

CUm ad eas etiam obligationes, quæ ex mulieris perſona calliditate [8] creditoris ſumpſerunt primordium, decretum patrum, quod de interceſſione fœminarum factum eſt, pertinere Edicto perpetuo declaratur: Si [tamen] creditor, qui contrahere cum alio propoſuerat, mulieris [9] perſonam elegit: exceptione contra petitores [10] ſecundum ea quæ aſſeveras, defendi potes. Dat. 18. Kal. Jan. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

De heredibus.

20. Iidem AA. & CC. Theodotiano.

HEredes quoque mulieris adverſus creditores [eadem] exceptione, quæ ex Senatusconſulto introducta eſt, uti poſſe dubium non eſt. Dat. 9. Kal. Jan. ipſis CC. CONSS.

De jure hypothecarum remiſſo.

21. Imp. ANASTASIUS A. Celeri Magiſtro officiorum.

JUbemus [11], licere mulieribus & pro uno contractu, vel certis contractibus, ſeu, pro una vel certis perſonis ſeu rebus juri hypothecarum ſibi competenti per conſenſum proprium renunciare [12]: quodque ita geſtum ſit, hac auctoritate noſtra firmum illibatumque cuſtodiri; ita tamen ut [&] ſi generaliter [13] tali renunciatione pro uno (ut dictum eſt) contractu, ſeu certis contractibus, vel ad unam, vel ad certas res, ſeu perſonas conſenſum proprium accommodantes uſæ ſunt, vel fuerint: eadem renunciatio ad [14] illos contractus, & illas res ſeu perſonas, quibus conſenſum [ſuum] proprium accommodaverunt, vel accommodaverint, coarctetur, nec aliis quibusdam contractibus, quibus minime mulieres conſenſerunt, vel conſenſerint, prætendentibus eam, opponendi licentia præbeatur. His ſcilicet omnibus, quæ in præſenti per hanc conſultiſſimam legem ſtatuimus, ad præteritos [15] nihilominus contractus pro negotiis & controverſiis, necdum [16] transactionibus, vel definitivis ſententiis, ſeu alio legitimo modo ſopitis, locum habituris. Dat. Kal. April. ANATOLIO & AGAPITO CONSS. 508.

De donatione propter nuptias. 1. *De dote.*

In AUTHENT. ut immobilia ante nuptial. donat. §. Si quis igitur. coll. 5. tit. 16. al. 14. Novell. 61. cap. 1.

SIve a me, ſive ab alio pro me fiat donatio [17] propter nuptias: quod ea ex cauſa eſt immobile, neque [18] alienare valeo neque obligare: In hoc ergo contractu mulieris conſenſus nihil proficit, quo minus demus mulieri in rem actionem in ſponſalitia largitate ſoluto matrimonio: niſi & ſecundo [19] poſt biennium profiteatur, & aliæ res viro ſint, ex quibus ei conſuli poſſit. Absque his enim neque ſi frequenter conſentiat, lædetur: vir tamen obligabitur in aliis rebus ſuis hujus obligationis ſeu alienationis occaſione: quæ, quantum ad mulierem, pro non dicta, & pro non ſcripta habetur. §. 1. *Et multo [20] magis idem in dotibus locum habet, ut non aliquid immobile pro ea alienetur, vel obligetur: omnibus tamen privilegiis doti datis, in ſua firmitate durantibus, ſive agat mulier, ſive nomine ejus alius.*

De ſecunda interceſſione.

22. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

SI mulier perfectæ ætatis [conſtituta,] poſt interceſſionem, vel cautionem conſcripſerit, vel pignus, aut interceſſorem præſtiterit: ſancimus, antiqua legum varietate ceſſante, ſi quidem intra biennale jugę tempus poſt priorem cautionem numerandum, pro [21] eadem cauſa fecerit cautionem, vel pignus aut interceſſorem dederit: nihil ſibi præjudicare, quod adhuc ex conſequentia ſuæ fragilitatis in ſecundam jacturam inciderit. Sin autem poſt biennium hæc fecerit: ſibi [22] imputet, ſi, quod ſæpius cogitare poterat & evitare, non fecit, ſed ultro firmavit: videtur [23] etenim ex hujusmodi temporis prolixitate non pro aliena obligatione ſe illigare, ſed pro ſua cauſa aliquid agere, & tam ex ſecunda [24] cautione ſeſe obnoxiam facere, [in quantum hoc fecit] quam pignus aut interceſſorem utiliter dare.

De muliere, quæ proprio viro conſenſit.

In AUTHENT. ut nulli jud. lic. hab. loci ſervat. §. & illud. coll. 9. tit. 17. al. 9. Novell. 134. cap. 8.

SI [25] qua mulier crediti inſtrumento conſentiat proprio [26] viro, aut ſcribat, & propriam ſubſtantiam, aut ſeipſam obligatam faciat, jubemus, hoc nullatenus valere, ſive ſemel, ſive [27] multoties hujusmodi aliquid pro eadem re fiat: ſive privatum, ſive publicum ſit debitum: ſed ita eſſe, ac ſi neque factum quicquam, neque ſcriptum eſſet: niſi [28] manifeſte probetur [29], quod pecuniæ in propriam ipſius mulieris utilitatem expenſæ ſint.

Si mulier aliquid accepiſſe dicatur, ut intercederet.

23. Idem A. Juliano P. P.

ANtiquæ jurisdictionis retia, & difficillimos nodos reſolventes, & ſupervacuas diſtinctiones exulare cupientes, ſancimus, mulierem, ſi interceſſerit, ſive ab initio, ſive poſtea aliquid [30] accipiens, ut ſeſe interponat: omnimodo teneri, & non poſſe Senatusconſulti Vellejani uti auxilio: ſive ſine ſcriptis, ſive per ſcripturam ſeſe interpoſuerit. Sed ſi quidem in ipſo inſtrumento interceſſionis dixerit *ſeſe aliquid accepiſſe, & ſic ad interceſſionem veniſſe*, & hoc inſtrumentum publice [31] confectum inveniatur, & [32] a tribus [33] teſtibus conſignatum: omnimodo [34] eſſe credendum, eam pecunias, vel res accepiſſe, & non eſſe ei ad Senatusconſulti Vellejani auxilium regreſſum. † Sin autem ſine ſcriptis interceſſerit, vel inſtrumento non ſic confecto, tunc, ſi poſſit ſtipulator oſtendere [35] eam accepiſſe pecunias, vel res, & ſic [36] ſubiiſſe obligationem; repelli eam a SC. juvamine. † Sin vero hoc minime fuerit ab eo approbatum: tunc mulieri ſupereſſe auxilium, & antiquam actionem adverſus eum ſervari, pro quo mulier interceſſit, vel ei actionem parari. §. 1. Sed ſi minus idoneæ mulieri conſtitutæ aliquis pecunias, vel res dederit, ut pro eo ſeſe obligaret: mulieri quidem, quæ revera hæc accepit, nullus pateat aditus ad Senatusconſulti auctoritatem, creditori autem

1 Velleiani exceptione fidejuſſor juvatur. *l.* 6. *l.* 30. *in fin. ff. h. t.* niſi ſucceſſerit Principali. 2 Mulier mandans fidejuberi, non tenetur ex mandato. Quid qui promiſit? ne is quidem tenetur. *ut hic.* 3 Adde *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* 4 Si nomen uxoris ſimulate inſtrumento inſertum pro mariti nomine fuerit, obligatio ipſo jure nulla eſt, ſimulationis gratia, ideoque locus non eſt Velleiano, ſed nullitati. 5 Vide *l.* 1. §. *plus valere quod agitur.* 6 *l.* 2. §. 4. *ff. h. t.* 7 *l.* 5. §. *h. t.* *l.* 2. §. 3. *l.* 23. *l.* 30. *ff. h. t.* *l.* 11. J. *de diſtract. pign.* *l.* 110. *in fin. ff. de reg. jur.* 8 Adverſus calliditatem creditoris, mulieri ſubvenitur. 9 *l.* 8. §. 14. *l.* 12. *l.* 28. *in fin.* *l.* 29. *ff. h. t.* 10 Petitorem. 11 Hujus legis fit mentio in lege unica. §. 15. *verſ. licet enim.* J. *de rei uxoriæ.*
12 Renunciare Velleiano mulier poteſt. *l.* 11. §. *h. t.* *l.* 23. §. 2. J. *h. t.* *l.* 32. §. 4. *ff. h. t.*
13 Renunciari generaliter poteſt Velleiano a muliere, fuerit tamen melius vim & naturam Velleiani mulieri a notario indicari. vid. Papon. 12. *Arreſt.* 5. *num.* 1. *ibi*, *Renonciations au Velleien ſans declaration ſuffit.* 14 Renunciatio generalis non extenditur ad extraneas perſonas: atque ita, filia renuncians paternæ ſucceſſioni, non cenſetur renunciare fraternis hereditatibus: videlicet, ut ne vis & effectus renunciationis unius, & quidem odioſæ ad alium caſum extendatur, quam qui expreſſus ſit. *arg. l. ſi domus.* 21. *ff. de ſervit. præd. urban.* *l. ſuum.* 13. J. *de jure deliber.* *l.* 1. §. *ſed videndum.* 11. *ff. de ſucceſſorio edicto.* *l. ſi ita ſtipulatus.* 126. §. *Chryſogonus.* 2. *ff. de verb. oblig.* *l. ad probationem ſervitutis.* 22. §. *de probat.* Capella Tholozana *deciſ.* 45. Ludovicus Romanus *conſilio* 168.
15 Lex ad præteritos caſus referri poteſt, ſi legiſlator expreſſim hoc voluerit. 16 Et ita lex ad imperfecta negotia tacite refertur. 17 Vide Rip. *ad l.* 2. *n.* 103. *cum ſeq. ff. ſolut. matr.* Bal. Novel. *in tract. de dote in* 7. *part. princ. privil.* 1. Abb. *ad c. pervenit. extr. de empt. & vendit.* Afflict. *deciſ.* 311. & *deciſ.* 349. *n.* 4. Rim. *Inſtit. quib. alien. licet vel non. in princ. n.* 88. & 202. Cephal. *conſ.* 51. *n.* 26. *vol.* 1. Mod. 18 Res immobilis donata propter nuptias, alienari non poteſt, neque obligari, etiam muliere conſentiente, niſi &c. J. *h. t. ibi, niſi &.* Goth. Vide omnino Rittershuſ. *in expoſit. Nov. part.* 2. *cap.* 4. & *part.* 5. *cap.* 9. Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 11. *num.* 66. Anſ. 19 Dicam ad *l.* 22. *in fin.* J. *h. t.* 20 Argumentum a minori ad majus obſerva: & ſic a donatione propter nuptias ad dotem. Donatio propter nuptias privilegiata, multo magis & dos. Quidam hæc verba referunt ad alienationem dotis, quaſi nullo jure poſſit dos alienari, & male. *Novell.* 61. *cap.* 1. Hoc tantum lex demonſtrat, majorem eſſe cauſam prohibendæ alienationis dotis, quam propter nuptias donationis: Alias, differunt in privilegio dos, & donatio propter nuptias. vide Cujac. *ad Novell.* 61. *in fin.* 21 Secunda interceſſio mulieris, poſt biennium facta (pro extraneo ſcil. *Authentica, ſi qua mulier.* J. *h. t.*) aufert mulieri beneficium Velleiani. *Novell.* 61. *c.* 1. §. 2. *Novell.* 134. *cap.* 8. adde Papon. 12. *Arreſt.* 5. *num.* 7. *ibi*, *le Velleien n'a lieu contre reſponſe geminée.* Excipe *authent. proximam* J. *h. t.* 22 Error committenti imputatur. 23 Hæc præſumptio juris eſt & de jure, contra quam non admittitur exceptio. *l. ult.* §. *ad SC. Macedon.* *l. ult.* J. *arbit. tut.* *l.* 15. §. 3. *ff. de re jud.* 24 Dixi §. *h. t.* Geminatus actus evidentem conſenſum inducit. 25 Hæc authentica notariis eſt frequentiſſima in uſu. Eſt vero ſententia hæc: Mulierem pro marito, vel ſæpius intercedentem, non obligari: pro extraneo obligari, ſi primam obligationem poſt biennium confirmaverit. adde *l.* 21. *l.* 22. *ſupr. h. t.* 26 Hæc authentica proprie pertinet ad obligatas mulieres maritorum cauſa. 27 Aliud eſt in cauſa extranei. *l.* 22. *ſupr. h. t.* 28 Nota exceptionem, quæ locis in illis fallit, in quibus mulier communionem bonorum cum marito ſuo habet: tunc enim ſi quid uxor cum marito acceperit, præſumitur in rem ſuam vertiſſe, aut ſaltem vertere debuiſſe. Hujusmodi vehementi præſumptione munitus creditor poteſt utiliter mulieri credere: inique vero eum decipere mulier non debet. Quid ſi mulier vel uxor ſponſionem ſuam jurejurando firmavit? *c. ex reſcripto.* 9. *de jurejur.* mulier interceſſi ne jurata pro aliquo facta, non juvatur Velleiano, ſicuti nec minor auditur, ſi juraverit. *Auth. ſacramenta puberum.* J. *ſi adverſ. vend.* aliud tamen receptum apud Gallos. Papon. 9. *Arreſt.* 6. *n.* 23. & 12. *Arreſt.* 5. *num.* 9. *ibi*, *Velleien receuable, non obſtant le ferment.* quod tamen refero ad uxores ætate minores, ut ſolæ adverſus juramentum reſtituantur. 29 Mulier intercedens cum marito vel extraneo, non præſumitur fieri locupletior. Præſumitur pro marito, & extraneo potius intercedere quam ſuo nomine. Quod ad maritum attinet, ceſſat ea præſumptio in iis locis & contractibus, in quibus uxor communionem bonorum habet cum marito: tunc enim vel ſolus maritus mutuum accipiens obligat uxorem in communibus bonis, & in eorum utilitatem præſumitur mutuum accipere, multo magis valebit ea præſumptio, cum ipſa uxor mutuum accipit. An & in aliis bonis uxorem ſuam maritus obligabit? non obligabit mulierem ſi ſolus contraxit. obligabit, ſi cum ea contraxit, merito. Poteſt enim mulier mutuum accipere & obligari in ſolidum, ad ea bona conſervanda, quæ cum marito communia habet. Hujusmodi bona uxoris dici poſſunt. Nam quod eſt commune, noſtrum dicere merito poſſumus. His caſibus æquum eſt mulierem in ſolidum obligari poſſe, rei communis ſervandæ cauſa. vid. Molinæum *de uſur. quæſt.* 38. *num.* 291. licet ea invita & ignorante maritus communionis dominus cenſeatur, reſque communes in ſolidum alienare poſſit contra ſocietatum vulgarium naturam. *l.* 68. *ff. pro ſocio.* quod tamen Pariſienſi conſuetudine receptum eſt. 30 Senſus eſt, Mulierem mercede acceptam nec gratis fidejubentem Velleiano non juvari. *l.* 6. §. 7. *ff. mandati.* Goth. Vide Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 11. *num.* 133. ubi hanc leg. in muliere quæ pro extraneo intercedit tantum, obtinere vult, ſecus ſi pro marito. Adde Joann. a Sande, *deciſ. Friſicar.* *l.* 3. *tit.* 11. *defin.* 5. Anſ. 31 Inſtrumento publice confecto creditur. 32 Vel *a tribus &c.* & *male* §. 2. *infr.* Nam inſtrumentum publicum quod ad hanc cauſam ſpecialiter attinet, requirit ſubſignationem trium teſtium: verum hæc ſolemnitas in Gallia non ſervatur. vid. Bugnionem *in legibus abrogatis.* 33 Inſtrumento a tribus teſtibus ſubſignato creditur. adde *l. ſcripturas.* 11. J. *qui potiores.* 34 Probatio contra præſumptionem juris, & de jure non admittitur: vid. tamen Socinum *reg.* 314. 35 Aliis legitimis probationibus. 36 Id eſt, non gratis, ſed pretio accepto. Pecunia accepta fidejubens mulier, Velleiano non juvatur: quæ tamen gratis fidejubens, juvatur.

liceat adverſus eam venire : & , quod [1] poteſt, ab ea exigere, & in reliquum, antiquum debitorem aggredi, vel in partem, ſi aliquid a muliere poſſit accipere : vel in totum, ſi ea penitus inopia fatigetur. §. 2. Ne autem mulieres perperam ſeſe pro aliis interponant, ſancimus, non [2] aliter eas in tali contractu poſſe pro aliis ſe obligare, niſi inſtrumento publice confecto, & [3] a tribus teſtibus ſubſignato accipiant homines a muliere pro aliis confeſſionem [4] : tunc enim tantummodo eas obligari, & ſic omnia tractari, quæ de interceſſionibus fœminarum, vel veteribus legibus cauta, vel [ab] imperiali auctoritate introducta ſunt. Sin autem extra eandem obſervationem mulieres acceperint interceſſionem : pro [5] nihilo habeatur hujusmodi ſcriptura, vel ſine ſcriptis obligatio, tanquam nec confecta, nec penitus ſcripta : [ut] nec SC. auxilium imploretur, ſed ſit libera & abſoluta, quaſi penitus nullo in eadem cauſa ſubſecuto.

De interceſſione pro libertate.

24. Idem A. Juliano P.P.

VEterum ambiguitatem decidentes, ſancimus, Si quis ut ſervo [6] ſuo manumiſſionem imponat, mulierem acceperit obnoxiam ſeſe pro certa quantitate facientem, ſi in libertatem ſervum perduxerit, ſive principaliter mulier ſeſe obligavit, ſive pro ſervo hoc fecit, teneri eam recte omnimodo, Senatusconſultum Velleianum in hoc caſu ceſſare imperantes. Satis etenim acerbum eſt, & pietati rationi contrarium, dominum ſervi, qui credidit mulieri, ſive ſoli, ſive poſt ſervi promiſſionem, & libertatem ſervo imponere, & ſuum famulum perdere, & ea minime accipere, quibus fretus ad hujusmodi venit liberalitatem.

De dote.

25. Idem A. ad populum urbis Conſtantinopolitanæ, & univerſos provinciales.

GEneraliter ſancimus : ut [7], ſi quis major vigintiquinque annis, ſive maſculus, ſive fœmina [8], dotem [9] pollicitus ſit, vel ſpoponderit pro qualibet muliere, cum qua matrimonium licitum eſt, omnimodo compellatur [10] ſuam confeſſionem adimplere : neque enim ferendum eſt, quaſi caſu fortuito [11] interveniente mulierem fieri indotatam, & ſic a viro forſitan repelli [12], & diſtrahi matrimonium. Cum enim ſcimus, favore [13] dotium & antiquos juris conditores ſeveritatem legis ſæpius molliſſe : merito & nos ad hujusmodi venimus ſanctionem. Nam ſi ſpontanea voluntate ab initio liberalitatem ſuam oſtendit, neceſſe eſt eum, vel eam ſuis promiſſionibus ſatisfacere : ut quod ab initio [14] ſponte ſcriptum, aut in pollicitationem deductum eſt, hoc ab invitis poſtea compleatur : omni auctoritate Velleiani Senatusconſulti in hac cauſa ceſſante.

TIT. XXX.
DE NON [15] NUMERATA PECUNIA.

De Pignore convento, vel dato, & de probatione pignoris dati.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Hilario.

SI pecuniam tibi non eſſe numeratam, atque ideo fruſtra cautionem emiſſam adſeris, & Pignus [16] datum probaturus es ; in rem experiri potes : nam intentio dati pignoris nec numeratæ [17] pecuniæ, non aliter tenebit, quam ſi de fide debiti conſtiterit.

† Eademque ratione veritas ſervetur, ſi te poſſidente pignus adverſarius tuus agere cœperit. [PP. Kalend. Septemb. LATERANO & RUFINO CONSS.] 198.

De Parte non numerata.

2. Imp. ANTONINUS A. Maturio.

MInorem pecuniam te accepiſſe, & majorem [18] cautionem interpoſuiſſe, ſi apud eum, qui ſuper ea re cogniturus eſt, conſtiterit : nihil ultra quam accepiſti cum uſuris in ſtipulatum deductis reſtituere te jubebit.

De hypotheca.

3. Idem A. Demetrio.

SI ex cautione tua, licet [19] Hypotheca data [20], conveniri cœperis : exceptione oppoſita, ſeu doli, ſeu non numeratæ pecuniæ, compellitur [21] petitor probare pecuniam tibi eſſe numeratam : quo non impleto, abſolutio ſequetur.

De Solutione facta juxta cautionem.

4. Idem A. Baſſano.

CUm fidem cautionis agnoſcens, etiam [22] Solutionem portionis debiti, vel uſurarum feceris : intelligis te de non numerata pecunia nimium tarde querelam deferre.

De eo, qui ſcripturam propriam, vel numerationem negat.

In AUTHENT. de trient. & ſemiſſ. §. ſtudium. collat. 3. titul. 5. Novell. 18. cap. 8.

COntra, qui propriam ſcripturam, quæ convenitur, abnegat, vel numerationem inficiatur : convictus in duplum [23] condemnetur : niſi ſacramento illato confiteatur : tunc enim non punitur, niſi in expenſis circa probationes factas, actoris juramento declarandas. At [24] ſi poſt numerationis inficiationem prætendat ſolutionem : omnino ſolidum exigitur, nec prodeſt jam facta ſolutio. † Contra ſi actor litteras ſuas a reo prolatas abneget, eadem ſit & pœna & jurisjurandi forma. † Hæc pœna curatori infligenda, ſi de ſuis literis quæſtionem referat in cauſa ejus quem curat.

De Cauſa debiti præcedente.

5. Imp. ALEXANDER A. Hauſtiano.

ADverſus petitiones adverſarii ſi quid juris habes, uti eo potes. Ignorare autem non debes, non numeratæ pecuniæ exceptionem ibi locum habere, ubi quaſi [25] credita pecunia petitur. Cum autem ex præcedente Cauſa debiti [26] in chirographum quantitas redigitur, non requiritur, an tunc, cum cavebatur, numerata ſit : ſed an juſta cauſa debiti præceſſerit.

De Cauſa, qui obligationem alterius ſuſcepit.

6. Idem A. Juſtino.

FRuſtra opinaris exceptionem non numeratæ pecuniæ te eſſe munitum, quando (ut fateris [27]) in ejus vicem, qui erat obligatus, ſubſtitueris te debitorem.

De Condictione & exceptione.

7. Idem A. Juliano, & Ammiano.

SI quaſi accepturi mutuam pecuniam adverſario caviſtis, quæ numerata non eſt, per Condictionem [28] obligationem repetere [ſc.] ſi actor non petat, vel Exceptione non numeratæ pecuniæ adverſus agentem uti poteſtis.

Heredibus, & in heredes quando competat.

8. Idem A. Materno.

SI intra legibus definitum [29] tempus, qui cautionem expoſuit nulla querimonia uſus, defunctus eſt : reſiduum tempus ejus Heres [30] habebit tam adverſus creditorem, quam adverſus [ejus] heredem.

† Sin autem queſtus [31] eſt, exceptio non numeratæ pecuniæ heredi, & adverſus [32] heredem ejus perpetuo competit. † Sin vero legitimum tempus exceſſit, in querimoniam creditore minime deducto, omnimodo heres ejus, etiam ſi pupillus [33] ſit, debitum ſolvere compelletur.

De Parte non numerata.

9. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Zoilo.

CUm ultra [34] hoc, quod accepit, re obligari neminem poſſe conſtet, [&] ſi ſtipulatione interpoſita, placita creditor non dederit : in factum [eſſe] dandam exceptionem convenit. Si [35] necdum tempus intra quod hujus rei querela deferri debet, tranſit ; vel [36] ſi intra hoc in teſtando juri paritum ſit : nihil ultra hoc, quod accepiſti, ſortis a te nomine [aditus Rector vel] Præſes provinciæ exigi patietur.

De probatione, & de longi temporis præſcriptione.

10. Iidem AA. Mezantio.

ASſeveratio debitum [37] ſolutum contendentis, temporis diuturnitate non excluditur : Nec huic obloquitur, quod exceptio non numeratæ pecuniæ certa die [38] non delata querela prius evaneſcit : cum inter eum, qui factum adſeverans, onus ſubiit probationis, & negantem numerationem, (cujus naturali ratione probatio [39] nulla eſt) & ob hoc [40] ad petitorem ejus rei neceſſitatem transferentem, magna ſit differentia.

1 Delegata mulier ſi non ſolvendo ſit, creditor ſuperſtum ab antiquo debitore poteſt petere. 2 Si Velleiano, ejus beneficio ſeu auxilii non admonita, mulier renunciaverit, Velleiano juvabitur : neque ei obſtabit renunciatio. vid. tamen Socinum reg. 271. 3 Dixi ſupr. h. t. 4 Id eſt, cautionem, ὁμολογίαν. 5 Inſtrumentum factum contra ſolemnitatem legis, ipſo jure nullum eſt. 6 Mulier interceedens pro ſervo, ut conſequatur libertatem, non juvatur hoc ſenatusconſulto. *Goth.* Hæc eſt decima quarta ex 50. novis deciſionibus Juſtinian. Inglois. *Anſ.* 7 *Synopſis Baſil.* 29. *tit.* 1. *ex lib.* 28. *tit.* 7. *cap.* 84. 4. Harmen. 8. §. 22. 8 Vid. Bald. Novellum *in tract. de dote* 6. *part. princ. privil.* 12. Rim. *Inſtit. de donat. in rubr. n.* 39. & 42. 9 Vid. *l.* 12. ✠. *h. t.* 10 Velleianum ceſſat ſex caſibus favore dotis. *ut hic.* libertatis. *l.* 24. *ſupr.* ſi mulier renunciet Velleiano. *l.* 21. *ſupr. h. t.* aut pretium fidejuſſionis cauſa accepit. *l.* 23. ✠. *h. t.* ſi ſecundo cavit. *l.* 22. ✠. *h. t.* ſi decipit. *l.* 5. *in fin. l.* 18. *ſupr. h. t.* 11 Dotem promiſſam omnimodo promiſſor præſtare cogitur : neque caſu fortuito deminutis facultatibus, ab ea præſtanda liberatur : ne fiat alioquin indotata mulier, & a viro repudium, dotis non ſolutæ, aut deperditæ nomine patiatur : aut potius color alius ad eam rem quæratur. 12 Hodie non fit divortium ob non ſolutam dotem. *l.* 11. §. 1. J. *de repudiis & judic. de morib. ſublat. Novell.* 22. *cap.* 18. Goth. Hinc colligunt indotatam mulierem a viro expelli poſſe. Præpoſ. Alex. *ad c. per veſtras. col.* 1. *in fin. extr. de don. inter vir. & ux.* Jo. Campeg. *in tract. de dote part.* 2. *quæſt.* 54. Rom. *conſ.* 517. *in princ.* Bal. *ad l. ſi donaturus.* §. 1. *ff. de condict. ob cauſ. & ad l. diviſione. ff. ſolut. matrim.* Bartol. *ad l. ſi donaturus.* v. Socinum *reg.* 258. & 315. Mod. 13 *l.* 70. *ff. de jure dot.* vid. *l.* 85. *ff. de reg. jur. & ibid.* Decium. 14 Contractus ab initio voluntatis : ex poſtfacto, neceſſitatis. *l.* 5. *ſupr. de obligationib. & act.*

15 *Inſtit. de liter. obligat.* §. 2. *Inſtit. de except. l.* 4. *ff. de doli mali & met. except.* περὶ ἀναργυρίας. 23. *Syn. Baſil.* 1. 2. Harm. 2. Oldendorp. 52. *de exceptionibus.* vide omnino Rebuffum *tom.* 1. *tract. de chirographis, & ſchedularum recognit. articul.* 1. *fol.* 128. *num.* 10. & *ſequentib. ad* 73. *eundem tom.* 2. *tract. de reſciſſ. contr. art. unico, gloſſ.* 19. *num.* 26. Huc referre poſſis titul. *de dote cauta non numerata lib.* 5. *tit.* 15. *infr.* & titulum, *Si pignoris conventionem numeratio pecuniæ ſecuta non ſit, lib.* 8. *tit.* 33. & *Nov.* 100. *de non numerata dote.* In Gallia ut hæc exceptio ſervetur, & in ea cui onus probandi incumbat, dicam ad *l.* 14. *infr. h. t.* 16 Vid. *l.* 1. & 2. *infr. ſi pignor. conventionem num.*

17 Γρ. nec numerata pecunia. 18 Sive nulla, ſive minor pecuniæ quantitas ſit numerata, poteſt ἀναργυρία opponi. *Synopſ. Baſil. h. t. cap.* 60. §. 2. 19 Exceptionem pecuniæ non numeratæ objicere debitor poteſt, etiam ſi pignora jam vel hypothecas creditori ſuo dederit. *Synopſ. h. t. cap.* 62. imo etſi juraverit. *l. ult. infr. h. t.* 20 Commentatus eſt in hanc legem copioſiſſime Emanuel Coſta : præter quem vide & Forcatulum *Necyomant. jur. dialog.* 75. Mod. 21 *l.* 10. *in fin.* J. *l.* 13. J. *h. t.* interim Cujac. *Nov.* 100. colligit, conſtitutione transferri onus probandi in adverſum. Quidam etiam cautionis vocabulo hic intelligunt inſtrumentum privatum vel publicum, in quo mentio fit receptæ pecuniæ, non tamen numeratæ. 22 Exceptioni τῆς ἀναργυρίας renunciat, qui cœpit uſuras vel partem ſortis ſolvere. *Synopſ. h. t. cap.* 63. 2. Harmen. 1. §. 3. vide Molin. *q.* 20. *de uſur. num.* 208. *ibi, ſexto ſolvens ex intervallo.* 23 Pœna falſo negantis propriam ſcripturam, vel numerationem. 24 Pœnam mentientis & inficiantis obſerva. Si quis mutuum ſe accepiſſe inficiatus convictus ſit, hanc pœnam patitur, ut univerſum debitum exſolvere cogatur, licet cautiones quasdam proferat ſolutionis a ſe in partem debiti factæ. 3. Harmen. 5. §. 65. Eo etiam pertinere poteſt, quod apud eundem Harmen. 5. *Scholiaſtes* 2. *tit.* 2. §. 10. ſcribit eum qui partem debiti inficiatur, quod alteram ſolutam eſſe excipiat, onus probationis ſuſtinere : aliter quam ſi totum debitum fuiſſet inficiatus. 25 Id eſt, ubi vere credita pecunia petitur : ut hinc colligere poſſis, hanc exceptionem locum tantum habere in mutuo : & ſunt tamen quædam non abſimiles exceptiones in pignore & dote. 26 Puta venditionis. 27 Suſcipiens alterius in ſe obligationem, exceptionem opponere non numeratæ pecuniæ non poteſt. *l.* 4. *infr. de duobus reis ſtipul.* 28 Cautio dati chirographi condici poteſt, ſi ex eo numerata non ſit pecunia, & ita actio, non tantum exceptio competit ei, cui non eſt numerata pecunia. *l.* 3. ✠. *de cond. indeb. & l. ult.* ✠. *de condict. ex lege.* ex *l.* 15. J. *de fidejuſſoribus. l. ult.* J. *de ſolutionib. l.* 3. *ff. de condict. ſine cauſa. l.* 9. ✠. *ad exhibendum. l.* 1. *l.* 2. *C. Gregoriano. tit. ſi debito perſoluto.* 29 Vid. *l.* 14. J. *h. t.* 30 Ad heredem exceptio non numeratæ pecuniæ transmittitur, niſi tempus ſit finitum. 31 Conteſtatio locum facit perpetuæ petitioni. *l.* 87. *l.* 139. *ff. de reg. jur.* 32 In heredem exceptio non numeratæ pecuniæ datur. 33 Heres etiam pupillus tenetur debito paterno. dixi ad *l.* 4. ✠. *de hered. action.* 34 Gratuitum hinc colligunt mutuum eſſe, & mutui debitorem non obligari ultra id quod accepit. *l.* 17. *ff. de pactis. l.* 11. §. 1. *ff. de reb. cred.* idem in pecuniam conſtituente pro alio. *l.* 11. *in fin. ff. de pecun. conſt.* idem in fidejuſſore. *l.* 8. §. 7. *ff. de fidejuſſor.* An idem in pactis & ſtipulationibus ? vid. quæ dixi ad *l.* 13. ✠. *de pact.* An idem in traditionibus rerum ? vid. *l.* 48. *ff. de pactis.* 35 *l.* 14. *infr. h. t.* 36 Negans numeratam ſibi pecuniam exceptione pecuniæ non numeratæ intra biennium uti poteſt. Imo & poſt biennium, ſi modo intra illud tempus διεμαρτύρατο : id eſt, proteſtationem interpoſuit. *Synopſis & ibi Scholiaſtes* 23. *tit.* 1. *cap.* 67. & 68. 2. Harmen. 2. §. 4. proteſtatione igitur perpetuatur jus exceptionis ἀναργυρίας. 37 Exceptio non numeratæ pecuniæ, biennalis, ſolutæ perpetua. 38 Id eſt, biennio. *l.* 14. *princ.* J. *h. t.* 39 Qui factum adſeverat, probare tenetur : qui factum negat, non tenetur. *l.* 23. *ſupr. de probat.* 40 Dixi ad *l.* 23. *in fin. ſupr. de probat.* 41 *l.* 3. *ſupr. h. t.* vid. *l.* 13. *infr. h. t.*

De

De tranſactione.

11. Iidem AA. Eutychiano.

SI tranſactionis [1] cauſa dare Palladio pecuniam ſtipulanti ſpopondiſti : exceptione non numeratæ pecuniæ defendi non potes.

De mandatore & fidejuſſore.

12. Iidem AA. Severiano.

TAm mandatori [2] quam fidejuſſori non numeratæ pecuniæ exceptio exemplo rei principalis competit.

De cauſæ probatione, & de confeſſione debitoris.

13. Imp. JUSTINUS A. Theodoro P. P. [3].

GEneraliter ſancimus : Ut, ſi quid ſcriptis cautum fuerit, pro quibuscunque pecuniis ex antecedente [4] cauſa deſcendentibus, eamque cauſam ſpecialiter promiſſor edixerit, non jam ei licentia ſit cauſæ probationem ſtipulatorem exigere, cum ſuis [5] confeſſionibus acquieſcere debeat [6] : niſi certe ipſe e contrario per apertiſſima [7] rerum argumenta ſcriptis inſerta, religionem judicis poſſit inſtruere, quod in alium quemquam modum, & non in eum, quem cautio perhibet, negotium ſubſecutum ſit. Nimis enim indignum [8] eſſe judicamus, quod ſua quisque voce dilucide proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare, teſtimonioque proprio reſiſtere.

De tempore hujus exceptionis proponendæ. 1. De depoſito, de ſecuritatibus publicarum functionum, vel dotis, 2. & cæteris. 3. de Jurejurando. 4. quæ obſervanda ſunt in hac querela proponenda.

14. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

IN contractibus, in quibus [9] pecuniæ, vel aliæ res numeratæ, vel datæ eſſe conſcribuntur, non intra quinquennium [10] (quod antea conſtitutum erat) non numeratæ pecuniæ exceptionem objicere poſſit, qui accepiſſe pecunias, vel alias res ſcriptus ſit, vel ſucceſſor ejus : ſed [11] intra ſolum biennium [12] continuum : ut eo elapſo nullo modo querela non numeratæ pecuniæ introduci poſſit : his ſcilicet, qui propter aliquas cauſas ſpecialiter legibus expreſſas etiam elapſo quinquennio in præteritis temporibus adjuvabantur, etiam in poſterum (licet biennium pro quinquennio ſtatutum eſt) eodem auxilio potituris.

§. 1. Sed quoniam ſecuritatibus, & inſtrumentis depoſitarum rerum, vel pecuniarum talem exceptionem opponere litigatores conantur, juſtum eſſe perſpeximus, hujusmodi poteſtatem in certis quidem caſibus prorſus amputare, in aliis vero brevi tempore concludere. Ideoque ſancimus inſtrumento [13] quidem depoſitionis [14] certarum rerum, vel certæ pecuniæ, ſecuritatibusque publicarum [15] functionum, ſive in ſolidum ſive ex parte ſoluta eſſe conſcribantur, illis etiam ſecuritatibus, quæ poſt confectionem dotalium [16] inſtrumentorum de ſoluta dote ex parte, vel in ſolidum exponuntur, nullam exceptionem non numeratæ pecuniæ penitus opponi. §. 2. Super [17] cæteris [18] vero ſecuritatibus quæ ſuper privatis debitis a creditore [19] conſcribuntur, *partem debiti ſortis, vel uſurarum nomine ſolutam eſſe* ſignificantes, vel adhuc fœneratitia cautione apud creditorem manente, ſolidi tamen debiti ſolutionem factam eſſe demonſtrantes ; vel etiam futuram eſſe redhibitionem inſtrumenti fœneratitii promittentes, vel ſi qua alterius cujuscunque contractus gratia, in quo numeratio pecuniarum, vel datio certarum ſpecierum ſcripta eſt, ſecuritas ſimiliter data ſit, depenſas eſſe pecunias, vel alias res, vel partem earum ſignificantes : intra triginta [20] tantummodo dies poſt hujusmodi ſecuritatis expoſitionem connumerandos, exceptionem non numeratæ pecuniæ poſſe objici : ut ſi hi tranſacti fuerint, eadem ſecuritas a judicantibus omnibus modis admittatur : nec ei liceat, qui ſecuritatem expoſuit, poſt exceſſum memoratorum [triginta] dierum non eſſe ſibi ſolutas pecunias vel alias res dicere. §. 3. Illo [21] videlicet [ſemper] obſervando [22] : ut, in quibus non permittitur exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere, vel ab initio, vel poſt taxatum tempus elapſum : in his [23] nec jusjurandum offerre liceat [24]. §. 4. In [25] omni vero tempore, quod memoratæ exceptioni taxatum eſt, ei licebit, cui talis exceptio competit, vel denunciationibus ſcripto miſſis querelam non numeratæ pecuniæ manifeſtare [ei] qui numeraſſe eam, vel alias res dediſſe inſtrumento ſcriptus eſt : vel ſi [26] abeſſe eum his locis, in quibus contractus factus eſt, contigerit, in hac quidem alma urbe apud quemlibet ordinarium judicem, in provinciis vero apud viros clariſſimos rectores earum, vel defenſores locorum eandem querelam manifeſtare, eoque modo perpetuam ſibi exceptionem efficere. Sed ſi præſens quidem ſit, qui pecunias numeraſſe, vel alias res dediſſe ſcriptus eſt, aliquam vero adminiſtrationem in hac alma urbe, vel in provinciis gerat, ut difficile eſſe videatur denunciationem ei mittere : licentiam damus ei, qui memorata exceptione uti velit, alios judices adire, vel in hac alma urbe, vel in provinciis, & per eos manifeſtare, cui exceptionem hujusmodi objicit, factam a ſe ſuper non numerata pecunia querelam eſſe. † Quod ſi in provinciis [vel] non ſit alius adminiſtrator civilis, vel militaris, vel propter aliquam cauſam difficile ſit ei, qui memoratam querelam opponit, adire eum, & ea quæ dicta ſunt, facere : licentiam ei damus per virum reverendiſſimum Epiſcopum [27] eandem ſuam exceptionem creditori manifeſtare, & ita tempus ſtatutum interrumpere. † Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis [28] locum habere certum eſt. Dat. Kal. Jul. *Conſtantinop.* D. N. JUST. A. II. COS. 528.

In AUTHENT. de temp. non ſol. pec. ſuper dot. §. ſin autem. coll. 8. tit. 1. al. coll. 7. tit. 11. Nov. 100. cap. 1.

HAnc autem querelam in ſcriptis fieri oportet, & ſi quis eam in judicio faciat : oportet eam mulieri, vel omnimodo ei qui dotem conſcripſit, innoteſcere.

Qui poſſunt hac exceptione uti.

15. Idem A. Mennæ P. P.

SI cui non numeratæ pecuniæ competere poſſit exceptio : etiam eo ſuperſedente tali auxilio uti, vel præſente, vel abſente, creditores ejus (ſive ipſi conveniantur, utpote res ejus detinentes ab his, qui debita ejus exigunt, cui competit hujusmodi exceptio, vel dotis, vel alterius cauſæ nomine : ſive contra alios poſſidentes aliquam actionem ipſi moveant) [poſſint] in examinando negotio ſuis adverſariis eandem non numeratæ pecuniæ exceptionem opponere : nec [29] eo prohibeantur, quod principalis debitor ea nunquam uſus ſit : ita tamen, ut neque principali debitori, neque fidejuſſori ejus aliquod præjudicium generetur, ſi is qui eam exceptionem oppoſuerit, victus fuerit : ſed poſſint illi poſtea ſi conveniantur, intra ſtatuta ſcilicet tempora, eadem ſe exceptione tueri.

De jurejurando.

16. Idem A. Joanni P. P.

INdubitati juris eſt, non numeratæ pecuniæ exceptionem locum habere, & in talibus nominibus, [vel] fœneratitiis, vel aliis cautionibus [30], quæ etiam [31] ſacramenti habent mentionem [32]. † Quæ enim differentia eſt in hujusmodi exceptione, ſive jusjurandum poſitum eſt, ſive non, tam in fœneratitiis cautionibus, quam in aliis inſtrumentis, quæ talem exceptionem recipiunt.

TIT. XXXI.
DE COMPENSATIONIBUS [33].

Fiſco petenti ex eadem non ex aliena ſtatione fit compenſatio.

1. Imp. ANTONINUS A. Dianenſi.

ET Senatus cenſuit, & ſæpe reſcriptum eſt, compenſationi in cauſa fiſcali, ita demum locum eſſe, ſi eadem [34] ſtatio [35] quid debeat quæ petit. Atque hoc juris propter confuſionem diverſorum officiorum tenaciter ſervandum eſt. Si quid autem tibi ex ea ſtatione, cujus mentionem feciſti, deberi conſtiterit : quamprimum recipies.

1 Petenti ex tranſactione non objicitur exceptio ἀναργυρίας. *Synopſ. h. t. c.* 69. 2 Reus principalis mandator & fidejuſſor ἀναργυρίαν poſſunt objicere. 3 Præfecto urbi. Cuj. 3. *obſ.* 3. 4 Cavi me centum tibi debere ex antecedente cauſa aliqua, verbi gratia emptionis, & hoc ſpecialiter edixi, id eſt ſcripſi ? probationem a te exigere non poſſum. Cur ? confeſſionibus meis acquieſcere debeo. Tu non cogendus es probare te mihi aliquid vendidiſſe, vel te centum illa mihi numeraſſe : ſed ipſe probare debeo, nihil te olim mihi vendidiſſe : Hoc, inquam, probare debeo non perfunctorie, ſed per apertiſſima tantum rerum argumenta ſcriptis inſerta. Tantiſper dum id probavero, confeſſioni meæ præſcriptæ ſtabitur, *ut hic.* adde §. *ult. Inſt. de fidejuſſorib. l.* 30. *ff. de verb. obl. l.* 2. *in fin.* J. *de quadrienn. præſcr. l.* 25. *ff. de probat.* ex reo partes actoris ſuſtinet. *l.* 1. *ff. de except. præſcript. & præjud.* adde autorem *Syn. h. t. c.* 71. & 3. Harm. 5. §. 74. Cujacium *ad Novell.* 100. 5 Suæ confeſſioni quisque debet acquieſcere, confeſſionem legitime factam nemo poteſt revocare. vid. Dynum *ad c.* 21. *de reg. in* 6. vid. etiam diligenter Molin. *q.* 29. *de uſur. n.* 208. *in pr.* 6 Vide Joan. de Imol. *ad l. a Titio. ff. de verb. oblig.* Roffredum *in libellis ad Rubr. certi condictio.* Joan. Andr. *in addit. ad* Specul. *tit. de conſenſu.* §. *nunc videndum. verſ. quæ eſt ratio.* Paul. Caſtr. *in l. ſi divort. ff. de verbor. obligat.* Lud. Rom. *ad l. generaliter. ff. h. t.* Bart. *ad l. cum quis decedens.* §. *codicillis. verſ. ad quæſt. ff. de leg.* 2. Jaſon. *ad l. admonendi. ff. de jurejur.* & *ad l. cum te tranſegiſſe. ſupr. de tranſact.* Felin. *in c. cum cautio. de fid. inſtrum. & c. at ſi cleric.* 6. *col. extr. de judiciis.* Bald. *in l.* 3. *infr. de repud. hered.* Cyn. *l.* 1. *infr. de confeſſ.* Alex. *conſ.* 13. *vol.* 1. Socin. *conſ.* 178. & *conſ.* 228. Mod. 7 Falſitas inſtrumenti teſtibus poteſt argui. vid. *l.* 3. *in fin.* ✠. *ſi min. ſe major.* 8 Quibusdam caſibus hoc non eſt indignum. vid. Mynſing. 4. *obſ.* 51. 9 Id eſt, non aliis quam in mutuo. 10 Aliud hic jure civili, aliud jure canonico ſtatuitur : Jaſon. *ad l. qui pecuniam.* 30. *n.* 7. & 8. *ff. ſi cert. petat.* Hippol. *ſing.* 463. & *ſing.* 622. Felin. *ad c. ſi cautio. de fid. inſtr.* Diaz. *Reg.* 249. Duen. *reg.* 261. Mod. 11 Διαμαρτυρία τῆς ἀναργυρίας proteſtatio ſeu exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium continuum opponi debet : olim quinquennio, hodie biennio continuo extinguitur : exceptis iis quibus jure ſpeciali olim conceſſum erat, etiam poſt quinquennium eam exceptionem opponere, *ut hic. Synopſ. h. t. cap.* 72. 2. Harmen. 2. *c.* 8. 12 *Inſt. de literarum obligat.* §. 2. *Inſt. de except.* Hodie ſemper in Gallia auditur excipiens non numeratam pecuniam, ſed ei incumbit onus probandi. Rebuff. *tom.* 1. *conſtit. in proœm. n.* 59. Goth. Quod cum Jure Canonico convenit, quo non numeratæ pecuniæ exceptio etiam poſt biennium opponi poteſt in vim exceptionis doli mali. vid. Dyn. *ad cap. locupletari, de reg. jur. in* 6. Panorm. *cap. ult. extr. de ſolut.* Felin. *cap. ſi cautio. n.* 60. *de fide inſtrum.* Anſ. 13 Non numeratæ pecuniæ exceptionem nemo opponit adverſus apocham ſeu inſtrumentum, quo confeſſus eſt ſe depoſitum accepiſſe : ſed nec adverſus ſecuritatem (ἀπόδειξιν Græci vocant) δημοσίων, id eſt, de rebus fiſci vel publicis functionibus & tributis, ἢ κατὰ ὁμολογίας ἀπολημπτικῆς ἐπὶ προικὶ : hoc eſt, adverſus cautionem ſcriptam receptoriam de dote ſeu dotis receptæ. *Synopſ. & Harm. d. loco.* 14 In depoſito confeſſo vel (ut loquuntur interpretes) confeſſionato, non admittitur exceptio non depoſitæ pecuniæ. vid. Roland. a Valle 1. *conſ.* 17. *n.* 7. 15 Vid. *l. ult.* J. *de apoch. publ.* adde *l.* 2. *in fin. infr. de quadrienn. præſcript.* 16 Exceptioni non numeratæ dotis locus non eſt, ſi præter inſtrumentum dotis etiam apocha caverit maritus ſe dotem accepiſſe. vid. Cujac. *ad Nov.* 102. *in fin.* 17 Exceptionem non numeratæ pecuniæ intra dies triginta poteſt opponere creditor adverſus ἀπόδειξιν ſeu apocham ſolutæ ſibi pecuniæ a ſe debitori factam, alio nomine, quam depoſiti tributorum, & dotis : atque ita differt ſpatium triginta dierum a biennio, de quo ſupra, quod datur, quum quis habet chirographum tanquam crediturus, & alter poſtea dicit ſe nihil accepiſſe. Triginta vero dierum, cum creditor ſecuritatem fecerit, veluti qui ſolidum vel partem acceperit. *Synopſ. & Scholiaſtes ibid.* Dic apertius, biennii exceptio competit reo ſeu debitori ; triginta dierum creditori. 18 In quibus non agitur de depoſito, de tributis, de dote, *ut* ✠. §. 1. 19 Spe futuræ ſolutionis, ſi creditor apocham debitori tradidit, dabitur etiam ei exceptio non numeratæ. 20 Vide quæ notavi ad *l.* 7. *in fin. ff. de public. & vectig.* 21 In quibus cauſis pecuniæ non numeratæ exceptio opponi non poteſt, aut intra triginta dies duntaxat poteſt, nec jusjurandum defertur. 2. Harm. 2. §. 9. *Synopſ. dict. loc.* 22 Vide Jaſonem *ad l. manifeſtæ* 38. *ff. de jurejur.* Mod. 23 Excipere cui non licet, jusjurandum deferre non poteſt : vide *l.* 35. *in fin. ff. de jurejur.* 24 Vid. tamen *Novell.* 136. *cap.* 6. 25 Exceptionem pecuniæ non numeratæ qui habet, nec eam opponere propter metum adverſarii ſui poteſt, proteſtatione (Græcis διαμαρτυρία) apud præſidem vel apud Epiſcopum interpoſita tempus interrumpit. *Scholiaſt. Synopſ. dict. loc.* 26 *l.* 14. J. *de contr. ſtipulat.* 27 *l.* 21. ✠. *de Epiſcop. aud.* 28 Vid. J. *de dote caut. non numer.* 29 Adde *l.* 15. *ff. de fidejuſſ.* 30 An contra inſtrumentum guarentigiatum, aut confeſſatum non numeratæ pecuniæ exceptio opponi poſſit, vid. Groeneweg. *hic* : & Cenſur. Forenſ. noſtram *lib.* 4. *cap.* 18. S. L. 31 Vid. *l. ult. ff. ad municip.* adde ſpeciem *l. penult.* ✠. *de tranſact.* & ita, non obſtante juramento poteſt excipi de non numerata pecunia, h. e. exceptio non numeratæ pecuniæ locum habet etiam in jurata cautione. *Syn. Baſil. d. l. c.* 76. jurata porro cautio Græcis ἐνώμοτος ὁμολογία. De gratia jurisjurandi dixi ad *d. l. ult.* a quo ſit petenda. v. Roland. a Valle 1. *conſil.* 6. 32 Exceptio non numeratæ pecuniæ competit etiam appoſito juramento, & juramentum intelligitur ſecundum naturam actus, ſuper quo interponitur. Tiraquell. *de conſtit.* 3. *part.* 7. *lim. n.* 34. Jacob. de Nig. *ad rub. ff. de verbor. oblig. n.* 182. Fortun. Garzia. *ad l. ſi unus.* §. *pactus ne peteret. num.* 68. *ff. de pact.* Decius *conſil.* 240. & 351. *num.* 8. Didacus Covarruvias *ad rubr. extr. de teſtibus* 2. *part. n.* 12. Guterius *part.* 1. *reſolut. c.* 37. Mod.

33 §. 39. *Inſt. de actionibus, &* 16. *D.* 2. adde Paul. 2. *ſentent.* 5. §. 3. Oldendorp. *de except. compenſat. cap.* 47. *de except.* In Gallia conſuetudinaria compenſatio apud judicem ſine literis regiis non admittitur : quod ad compendium ſigilli Regis excogitatum refert Rebuffus *tom.* 1. *in proœm. conſtit. gl.* 5. *num.* 57. Goth. Ad hunc tit. vid. Cujac. *lib.* 6. *obſervat. cap.* 16. & *lib.* 15. *cap.* 12. & *tom.* 3. *comment. ad jus civil.* S. L. 34 Si unus fiſci ſtationarius mihi debet, alii ſum debitor, petere non poſſum compenſationem. adde *l.* 12. *ff. h. t.* 35 Στατίων. Fiſcus in diverſis provinciis quosdam habuit, qui res ipſius curarent. Curatio quælibet appellatur ſtatio. 7. *Synopſ.* 6. *ex lib.* 24. *tit.* 10. *cap.* 25. & *ibid. Scholiaſtes.* ſtationis fiſcalis fit alibi mentio in *l.* 1. J. *ne fiſcus rem quam vendid. lib.* 10. *tit.* 5. *l.* 9. *infr. de ſuſceptorib. lib.* 10. *tit.* 70. *l.* 2. J. *de ſolut. & liberationibus.* Curationem hic voco, non locum ſtationis. vid. Cujac. 24. *obſerv.* 37. non ipſas manſiones, in quibus officia fiſcalia conſiſtunt. vide Cujac. *ad l.* 1. J. *ne fiſcus rem.* non officium ſtationarii, ſed ipſum ſtationarium & curatorem fiſcalem. His ita cognitis dicamus, fiſco agenti compenſationem objici poſſe : ſed tunc tantum, cum eadem ex ſtatione debet non alia. Nam cujusque ſtationis ratio ſeparata eſt, verbi gratia καθολικὸς ſeu generalis Alexandriæ debitum fiſcale petit : Reus ſeu debitor contra, ſibi tantumdem a fiſco Antiochiæ deberi ait ? quum alia ſtatio ſit, exceptionem non habebit : ſi aliter compenſationes petuntur, συγχέονται αἱ φροντίδες καὶ οἱ λόγοι τῶν καθολικῶν, cautiones ipſæ & rationes generalium confunduntur. *Synopſis Baſilic. & ibid. Scholiaſtes* 7. *tit.* 6. *extr.* 10. *c.* 125.

CODEX. [Y] 2 Judicatæ